



# Disputatio juridica inauguralis de fidejussoribus

<https://hdl.handle.net/1874/341842>

14

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**FIDEJUSSORIBUS,**

QUAM  
FAVENTE DEO OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inlyta Academia Ultrajectina  
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS

Summisque in utroque JURE honoribus, & Privilegiis rite;  
ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini subjicit*

LIEFHARDT à LUNENBERGH, ZWOLLANUS.

*Ad diem 29. Junii, loco horisque solitis.*



ULTRAJECTI.

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc lcc LXXXVI.

*VIRIS Prudentissimis  
Celeberrimis.*

**D. BERNARDO  
à DELDEN,**

apud Zwollanos Mercatori Solertissimo  
justissimo , Avunculo ea qua par est ob-  
servantia Colendo , amando.

**D. DIDERICO à REES,**  
Viro spectabili , affinitatis nomine A-  
vunculo honorando fuscipiendo.

U T E T

*Clarisimo Consultissimoque VIRO*

**D. JOANNI à MUYDEN,**  
J. U. D. & in Illustrissima Academia Tra-  
jectina Antecessori Ordinario , studio-  
rum suorum promotori unico omni ho-  
nore sibi dignissimo.

*Hanc suam disputationem Inauguralem*

D. D. C.

LIEFFHARDT à LUNENBERGH.  
AUCTOR.

# PROOEMIUM.

**M**ortalibus de proprio commodo in-  
dies studere, haud ignotum est:  
quem in finem prudentiam cau-  
telamque omnem, adhibere &  
sibi (quatum vires patiuntur  
humanae) de futuro imminenti  
malo prospicere; sic nec emere,  
vendere, locare; nec fidem alterius sequi: quin  
tacita vel expressa insit cautela, sapientia signum  
esse, nulli fano, ut opinor dissipat ingenio; sibi-  
que de futuris incommodis cavere studentes, præ-  
ter simplices contractus fines, quædam pinguiora,  
in securitatem crediti addere solent: quod fit vel  
præstito jurejurando, vel datis pignoribus, vel fa-  
ctâ rei promissione, vel constitutis fidejussoribus &  
quam fidejussorum materiam, inter cæteras ab am-  
plissimo Senu Academicò præscriptam, præ cæteris  
elegi, propter utilitatis, continuique usus excellen-  
tiā: quod cum nulli lateat rem ipsam aggre-  
diar.



D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
F I D E J U S S O R I B U S.

C A P U T I.

**E**idejussorem à *fidejubendo* dictum communior habet opinio. Est autem fidejubere, alienam obligationem mediante stipulatione in se recipere; sic fidejussio nihil nobis aliud est, quam verborum obligatio, qua quis alienā obligatione, mediante stipulatione tenetur. *l. i. §. 8. ff. de obl. &c. act.*

C A P U T I I.

**D**ico verborum obligationem, cum secundum jus civile fidejussor non obligatur, nisi mediante stipulatione. *l. 32. ff. mand. l. 12. C. b. t.* Exceptio est in *l. 4. §. 3. ff. b. t.* Quā lege cautum est, fidejussores tutorum teneri,

neri, sine interposita stipulatione : quod moribus obtinet in quacunque fidejussione ; cum solummodo consensus attenditur : cætera definitionis verba , fidejussores ab omnibus aliis fidejussoribus distinguunt.

## C A P U T III.

**F**It ergo fidejussio mediante stipulatione §. I. *Inst. de verb. obl.* Quà in re differt à mandatore ; cum fidejussor alieno nomine obligatur. *I. I. §. 8. ff. de obl. & act.* mandator è contra proprio nomine obligatur. *I. 28. ff. mand.* Distinguitur ab expromissore : quod interveniente fidejussore , debitor principalis maneat obligatus *I. 23. C. b. t.* Sed interveniente expromissore , liberatur principalis , & solus expromissor tenetur. *I. ul. ff. ad SC. maced. I. 7. §. 8. ff. de dol. mal.* & sic procedit , quod in expromissore fit novatio *d. I. ul. in fidejussore contra arg. I. I. §. 3. ff. b. t.* Sic & à constitutore fidejussor differt , se pacto obligante , tam inter præsentes quam absentes. *I. 14. §. 3. I. 26. ff. de const. pec.* sed fidejussio inter præsentes. *arg. §. II. Inst. de imut. stip.* & sic differentiam vide-  
mus , quod constitutor promittit , quod ipse debet §. 9. *Inst. de act. fidejussor tantum pro alio obligatur pr.* *Inst. b. t.* hi omnes imprimis fidejussores à creditoribus accipiuntur , dum curant , ut diligentius sibi cautum sit. *pr. Inst. b. t.*

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

## CAPUT IV.

Fidejubere possunt omnes qui sunt idonei, & efficaciter obligantur : quales habentur locupletes, & conventu faciles *l. 3. ff. qui satisd. cog.* sic pater pro filio, & filius pro patre fidejubere poterit *l. 10. §. 2. ff. l. 8. C. b. t.* Arcentur impuberes & minores. *l. 48. §. 1. ff. b. t.* infantes. *l. 1. ff. de verb. obl.* Furiosi *l. 1. §. 12. ff. de obl. C. act.* muti & surdi. *l. 1. ff. de verb. obl.* pupilli & minores 25 annis : quia sine tutoris, aut curatoris auctoritate cum effectu non obligantur *pr. Inst. de auct. tut.* nec milites : ne privatis negotiis se magis, quam armis occupent. *l. 31. ff. locat. cond. l. 13. C. de re mil.* nec non mulieres : cum ab omnibus officiis civilibus sint remotæ. *l. 2. ff. de R. J. l. 1. §. 1. ad Sc. Vell.* cum saepissime contra propria commoda ipsas laborantes videamus. *l. 2. §. 2. ad Sc. Vell.* sic inspicere licet Sc. Velleianum, in illarum favorem constitutum esse : ut si foemina quædam pro alio fidejussisset, illius fidejussio esset inefficax *l. 1. C. tot. tit. ff. C. ad Sc. Vell.* excussa saepius à DD. occurrit quæstio : num mulier huic SCto Vellejanæ efficaciter renuciare possit ? quod affirmandum censeo, dum prius de illo certiorata, & edocta sit. arg. *l. 9. c. ad Sc. Vell. l. 9. §. 1. ff. de trasac.* cum nihil in jure nostro usitatius inveniatur ; quam quod quilibet favori pro se introducto renunciare possit. *l. pen. C. de pact.*

C A-

## C A P U T V.

**F**idejussor potest accedere omni obligationi. *l. 1. ff. h. t.*  
 Quod non intelligendum de omnium obligationum speciebus, sed de omni obligationum genere; pro ut illud explicatur *in §. 1. Inst. b. t. & l. 8. §. 1. ff. b. t.* sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contracta sit, sive in civilibus aut naturalibus *d. §. 1. l. 6. §. fin. l. 7. ff. b. t.*  
 Quod non omnium obligationum specibus possit accedere, constat in actione populari, pro quâ fidejussor accipi nequit *l. 56. §. fin. b. t.* Quia antè litem contestatam actor non potest exigere fidejussorem poenæ solvendæ gratia: nam non est creditor *l. 12. ff. de verb. sign.*, pro dote à marito, patre, vel omnibus iis, qui dotem suscipiunt, fidejussio peti non potest, quia turpe vide-retur extraneo majorem, quam proprio marito fidem adhibere. *arg. l. 8. C. de pact. conv.* Hic queritur, si maritus sponte dedit fidejussores, an obligatio valida sit? Resp. non videtur *arg. d. l.* ubi prohibetur maritus dare; nec distinguitur utrum volens fecerit an coactus: *huc pertinent similes tituli C. ne Chris. mancip. item ne sanct. Bapt. iter.*

## C A P U T V I.

**F**idejussorem non posse accipi pro obligationibus ex delicto, in quibus agiter ad pñnam corporalem, constat

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

stat arg. l. 13. ff. ad l. aquil. & l. 12. C. de pœnam capitisi, abscissionem alicujus membra: cum nemo membrorum suorum dominus sit. l. 13. ff. ad. l. aquil. neque præscriptione temporis l. 37. ff. b. t. neque ex contractu turpi aut in honesto l. 70. §. fin. Eod. hisce præscriptis, cui obligationi possit vel non accedere ad fidejussionis formam transeamus.

### C A P U T VII.

**F**orma fidejussionis in eo consistit, quod fidejussor accipi possit vel pure, vel sub conditione, vel ad certum tempus, vel ex certo tempore l. 6. §. 1. l. 8. §. 7. ff. b. t. §. 5. Inst. b. t. Ardua inter DD. hic oritur quæstio, nempe quando plus est in accessoria obligatione, ita ut exceedat summam debiti obligationis principalis. V. G. si Titius Mævio 10 debet, & Sempronius pro Titio fidejubet in 20, an valeat illa fidejussio? sententia plurimorum dominorum est in totum non valere, quibus assentendum puto, & ne quidem in summam concurrentem obligari; per textum in l. 8. §. 7. ff. b. t. cui accedit quod talis obligatio sit contra formam stipulationis l. 49. §. 2. in fin. b. t. item fidejussor in majorem summam acceptus eodem modo obligatur, ac ille qui pure fidejubet pro eo, qui sub conditione debebat. d. §. 2. in fin. b. t. ille autem nullo modo obligatur. d. l. 8. §. 7. b. t.

C A-

## I N A U G U R A L I S.

### C A P U T V I I I .

**E**ffectus fidejussionis in eo consistit. I. quod fidejus-  
for obligatut creditori ad id , quod tempore fidejus-  
sionis in obligatione fuit : tam respectu sortis quam usu-  
raturum l. 68. §. 1. & l. 56. §. 2. ff. b. t. si in omnem cau-  
sam se obligavit , etiam ad usuras & interesse , quæ ex  
post facto accedunt tenetur l. 56. ff. locat. cond. II. Obli-  
gatio fidejussoris perpetua est : unde primo sequitur ,  
quod heredes relinquat obligatos. §. 2. Inst. b. t. III. De-  
bitorem principalem potest convenire , ut se liberet ab  
omni obligatione , nisi omnem pecuniam exsolvit l. 10.  
*C. mand.* Exceptis quibusdam casibus in d. l. 10. expres-  
sis. Effectus denuo est in beneficiis fidejussoribus com-  
petentibus : quæ tria sunt , scilicet ordinis , divisionis  
& cedendarum actionum , quæ in sequentibus capitibus  
explicantur.

### C A P U T I X .

**O**rдинis five excusionis beneficium est jus , quo cre-  
ditor tenetur debitorem principalem convenire , an-  
tequam adversus fidejussorem experiatur. auth. *Præ-*  
*sente C. b. t. Nov. 4. cap. i.* Cessat hoc beneficium , si  
fidejussor ei renunciaverit *Nov. 136. c. 1.* omnibus enim  
liberum est , favori pro se introducto renunciare *l. pen.*  
*C. de pact.* si fidejussor sit præsens , reus vero principa-  
lis

lis absens. *auth. præsente.* C. b. t. si negaverit se fidejussisse *l. 10. §. 1. b. t.* & postea de fidejussione convictus negatur ei hoc beneficium ob pœnam mendacii. *arg. l. 67. §. ul. ff. pro socio* si constet debitorem principalem non esse solvendo *d. auth. C. b. t.* Beneficium divisionis ita dictum, quod tendit ne debiti divisionem inter confidejussores, est jus, quo fidejussores non possunt conveniri in solidum *§. 4. Inst. b. t.* V. G. si debitor debeat 100. & sint quatuor fidejussores; singuli pro 25. sunt conveniendi. Cessat hoc beneficium, si omnes non sunt solvendi tempore litis contestatae *§. 4. Inst. b. t. §. l. 26. ff. eod.* si per mendacium negarunt se fidejussisse *l. 16. §. 1. ff. b. t.* ut si à tutore fidejussores dati sunt pupillo *l. ul. ff. rem. pup. salv.* si renunciaverit favori pro se introducto *Nov. 136. c. 1.* vel sese obligaverit tanquam debitor principalis: pacta enim dant formam contractui *l. 52. ff. de verb. obl.* negatur deinceps hoc beneficium fidejubenti cum muliere quæ non renunciavit SCto vellejano *l. 46. ff. b. t.*

## CAPUT X.

**U**ltimum denique beneficium venit: nempe cedendrum actionum, quod est jus, quo creditor unum fidejusserim conveniens, ei actiones contra cæteros fidejussores tenetur cedere, antequam fidejusserim convenitus solvere teneatur *l. 17. junctal. 36. ff. b. t.* quæ actionum cessionatum

tantum habet locum, ante solutionem, vel in ipsa solutione. *l. II. C. b. t. l. 36. 39. ff. Eod.* nam solutione facta sublata est omnis obligatio & actio *pr. Inst. quib. mod. toll. obl.* quoniam ex prædictis liquet, fidejussorem teneri creditoribus satisfacere; quando debitor principalis non est solvendo; vel absens actionibus ipsi non cessis, alia adhuc habet remedia, quibus indemnus servetur, tam de debito principali, quam de accessionibus, expensis & intereste. *cap. 2. x. b. t.* ne officium ipsi sit damnum *l. 61. §. 5. ff. defurt.* & quidem contra debitorem actionem habet mandati §. 6. *Inst. b. t. l. 10. §. 11. ff. mand.* si præcesserit mandatum, sive expressum, cum expressè rogatus sit ut fidejuberet. *l. 20. §. 1. Eod.* Siye tacitum: cum reus præsens passus sit fidejuberi; nam is qui præsens hoc fieri patitur, mandare intelligitur *l. 6. §. 2. l. 18. ff. mand. l. 6. C. Eod.* quod si vero pro absente vel ignorantie fidejussit, ei non potest competere actio mandati; sed dabitur ei actio negotiorum gestorum. *d. l. 6. §. 2. d. l. 20. §. 1. ff. mand.* quod si pro invito aut vetante fidejussit, nullam prorsus habet actionem contrà debitorem, secundum decisionem Justiniani. *l. ult. C. de neg. gest. l. 40. ff. mand.*

## CAPUT XI.

**E**xtinguitur fidejussio iisdem modis, quibus stipulatio vel contractus principalis: scilicet solutione principali

palis debiti. arg. l. 37. ff. b. t. pr. Inst. quib. mod. toll. obl.  
novatione l. 4. C. b. t. confusione l. 93. §. nlt. ff. de so-  
lut. l. 14. ff. b. t. præscriptione l. 3. 4. C. de præscrip. 30.  
ann. aliisque variis modis &c.

Hanc materiam pro ratione nostri instituti satis tra-  
ctatam censeo, finemque impono cum Virg. Claudite  
jam rivos. &c.

---

## COROLLARIA.

### I.

**D**olus dans causam contractui bo-  
ne fidei reddit eum ipso jure  
nullum.

### II.

Usucapio est justus titulus acquirendi ex  
jure civili.

### III. De-

LAURUS III. IUSTICIA

*Deductio in domum sponsi non est de  
essentia matrimonii.*

I V.

*Pater recte dat tutorem filio exhaereda-  
to , mater non nisi instituto.*



B 3 LAU.

# LAURUS THEMISTICA

*Quo Rheno-Trajecti Anno 1686, die  
29. Junii Condecoratus fuit eruditus,  
ac ingeniosissimus.*

## D. LIEFHARDT à LUNENBERGH, ZWOLLANUS.

*Chronographicum.*

LIEFHARDUS LUNENBERGH ZWOL-  
LANUS LUCE SOLIS JUSTITIÆ  
UTI NOVA LUNA FULGET  
JURIS, UTRIUSQUE DOCTOR



St proprium Lunæ, quod crescat lumine solis,  
Donec sit rutilo luce repleta Polo.  
Nomine Tu talem præfers ac omine Lunam  
LUNENBERGE Nepos, lumina juris amans;  
Nam primus quadrans Lunæ TIBI luxit ab Alto,  
Dum primis studiis irradiatus eras:

Sed

Sed modò juridicâ redimitus tempora Lauro,  
( Ut Nova resplendes *Luna LIEFHARDE*, tuis )  
Quâ T E Professor JOANNES stemmate MUYDEN  
*Rheno-Trajecti Juris in Urbe Decus*  
*Doctorem* meritò fecit sermone facundo  
Consultum *Juris*, *justitiaeque Virum*:  
Postquam *Juridicos* coepisti solvere nodos,  
Fovistique *tuum* per pia *Jura Themini*;  
Ac modò de Fidei iussoribus apta dedisti  
Signa *tuis Thesibus*, Victor ab Hoste tuo.  
Ast *Lune* Plene fulgebis, lumine plenus,  
Si simul in praxi fædere *juris* ames:  
Si TIBI Pandectæ fuerint cum Codice nEXi,  
E quibus hîc *Juris luce coruscens* eris:  
Laudibus ipsa *tuis Fora* tunc celebrata patebunt,  
Cum TE Patronum, lausdicumque putem.  
Si tamen Ecclipsin ferret tua *Luna* nocivam  
Processus grandis, dum tua Causa cadit,  
Hoc minimè cures, equidem tua *Luna* micabit  
Post hoc Deliquium, si curet illa facit.  
Dummodò *Lunatas causas* non suscipis ullo  
Injusto pretio, queis maledictus eris:  
Verùm *justitia jurisque negotia justa*  
Semper defendas, queis benedictus eris  
Non tamen existas Homini *Lunaticus* ullo,  
Sed *Themidis sapiens jura probata teras*  
Unde decus *Matri, Cognatis gloria, cunctis*  
*Zwollanis Lunie lumine Doctor* eris.

Sic

Sic quoque decurras labentis temporis annos;  
Quæs tua Juridico sit pia Vita bono;  
Ut, cum decrescit fluide pars ultima Lune,  
LUNATUM MONTEM Te super astra levet  
Postea justitia Sol fulgens CHRISTUS JESUS  
Dum TIBI Juridico præmia justa dabit  
Quæ favet ex votis sinceri cordis Amicus  
Affinisque Nepos semper ab ore tuus

F. M. D. L.

Vel

### THEODORUS MENSINCK.

*Lunenbergophilus*

